

1598

Patribus adstantibus, sacra pompa celebri peracta : septimo kal. augusti supplicationes magnifico apparatu frequentiaque habitæ.

*Inicus Mendozza Hispanus orator, Venetis pacem nitidus significat.*

Ceterum nulla ab Hispanis gaudii, ut assolet, signa edita. Inicus Mendoza, Philippi legatus, Alberti tantum Archiducis exhibitis literis, faneitam pacem Patribus sero admodum exposuit, more excusatione efficta, quod ea de re nihil ab Rege in mandatis habuisset: neque id mirum esse, quod inter Burgundicam atque Andegavensem familiam tantum convenisset. Ab Senatu legationes in Galliam atque Hispaniam decretæ: Franciscus Vendramenus, jam Cæsarea legatione perfunctus, ad Henricum; Aloysius Venerius ad Philippum designati; Venerius ob Philippi obitum illam non obivit. Oratoribus, qui Ferrariae erant, ut Clementi partam suis laboribus ac vigiliis pacem gratularentur, injunctum.

*Franciscus Vendramenus, & Aloysius Venerius oratores in Galliam & Hispaniam designati.*

Clemens sane in eam incidisse temporum conditionem sibi videbatur, qua, Christianorum sedatis compositisque dissidiis, suis de expeditione in Turcas votis consiliisque favere, lætoque vultu fortuna adspirare inciperet. In Pannonia Mehemetis potentiae obviam itum, Strigonium receptum, Agria licet amissa, Jaurinum recuperatum. Quo pacto, qui vix uni Cæsari obsistere posset, is omnium Christianorum impetum sustineret? Neque difficile, neque immensi operis atque impensa rem fore: decem Germanorum, totidem Italorum peditum, quatuor equitum millibus, ducentarum triremium classe, cuncta fere terra vel mari prospere atque ad exitum perduci posse. Atque adeo ea spe provehebatur, ut Amerino Episcopo Legato præciperet, ad ineundam cum reliquis Principibus societatem Rempublicam impelleret. Qui Principis Patrumque Collegium adiens in hanc sententiam est locutus: Clementem assidue de incremento atque amplitudine christianæ reipublicæ, deque perpetui hostis oppressione cogitantem, in id præcipue, a die initi pontificatus, consilia curasque omnes contulisse; copiis, pecunia in Pannonicō bello Cæsarem juuisse; pace dissidentes Reges conciliaſe, ut iis veluti firmissimis jactis fundamentis, christianorum Principum fœdus adſtruueretur. Præcipuam bac in egregia con-

*Clementis Portf. consilia de bello Turcis inferendo.*

*Amerini Episcopi, Pontif. Numii, ad Venetos oratio.*